

1721, 21
87 2.
24
CHRIST. WILDVOGELII,

Jcti,

CONSILIARII SAXO ISENACENSIS INTIMI, COLLEGHII VRIDI-
CI SENIORIS ET h. t. DECANI, NEC NON ACA-
DEMIAE PRO-RECTORIS,

DE

SIMPLARIIS VENDITIONIBVS

Ad

L. XLVIII. S. fin. d. ædil. ed.

PROGRAMMA INAUGVRALE

P. P.

IN ACADEM. JENENSI.

D III. Aug. A. O. R. MDCCXXI.



Joh. Georg Gerckenrod

I E N A E,
LITTERIS MULLERIANIS.

CHRIST. WILBOGELL

JCI

CONSILII ETI AMBROSII INIUM COLLEGIUM
CI SENIORS ET J. DECAN. N. N. N. ACA
DEMIAR PRO-RECTORIS

DE

SINI ARHS VENDITIONIBVS

L. XVIIII. s. m. d. c. lli. c. d.

PROGRAMMA INAVGURALE

P. P.

IN ACADEMIA JENENSIS

PROF. DR. M. A. M. M. M.



LITTEAE M. L. E. R. I. A. N. S.





Vanta fuerit veterum
 Jctorum apud Romanos
 in condendis legibus pru-
 dentia, inter alia ex eo
 dispalescit, quod non de
 rebus solum majoris mo-
 menti solliciti, jura certa
 istis statuerint, sed & curas suas ad minimas ex-
 tenderint, & quid in illis observari debeat,
 disposuerint. Inprimis circa lites in foro insti-
 tuendas, singularem illos adhibuisse industriam
 quilibet agnoscit, ne scilicet civibus in his ni-
 mium indulgeatur, nec immoderatis altercatio-
 nibus opes illorum dinumerentur. Etiam si e-
 nim primis Reip. istius temporibus, modus pro-

a 2

ceden-

cedendi in iudicio, variis formulis & verborum tricis involutus erat, ita ut vel in unica syllaba errans tota causa caderet; non tamen permittebatur de rebus levioribus litigare & alterum divexare, quin potius omni studio subditorum pruritus iurgandi coërcebatur. Apparet id inter alia ex Prætoris edicto, quo propter satis minimam rem vel summam audire volebat eum, qui restitui in integrum postulabat, observante Callistrato in *l. 4. de rest. in integr.* imo de dolo actionem non esse concedendam, si modica summa sit, Ulpianus scribit in *l. 9. §. fin. d. dol. mal.* neque Prætores tantum restitutionis auxilium denegabant in levioribus hisce negotiis, sed & generatim Legumlatores antiqui de rebus exiguis litigantes à foro repellere proficuum esse publicæ rei, sapienter admodum reputarunt. Hinc est, quod Imppp. Dioclet. & Maxim. in *l. 8. c. d. resc. vendit.* Evodia rescripserunt: *Hoc solum, quod paulo minori pretio fundum venditum significas, ad rescindendam venditionem invalidum est.* Pertinet huc, quod de SIMPLARIIS VENDITIONIBVS Pomponius JC. scribit in *l. 48. §. fin. d. adil. edit.* quando ait:

ait : *SIMPLARIARVM VENDITIONVM causa, ne sit redhibitio, in usu est.* Cum enim ad præcavendas fraudes & læsiones, quæ à venditoribus ut plurimum committi solent, non solum stipulationes simpli, dupli vel quadrupli introductæ essent, sed & redhibitoria actio illis daretur, qui rem quandam latente vitio affectam ignoranter emerant, proposito edicto, quod ab autoribus, *Ædilibus*, *ædilitium* vocabatur, eademque actio quibuslibet rebus in contractum emtionis, aliosve huic similes deductis, locum haberet, *simplarias* tamen *venditiones* eximere, atque in his redhibitoriam exulare debere, placuit. Quid vero per *Simplariam rem* aut *venditionem* designetur, non una est DD. sententia. Accurcius namque *ad d. l. 48. Simplarias* res illas esse, quæ anima & corpore carent & in iure consistunt, veluti hereditates, satis simpliciter autumat; cum enim de quibuslibet rebus, tam earum, quæ soli sunt, tam quæ mobiles aut semoventes, edictum illud fuerit introductum. *l. 1. pr. l. 49. d. ad. ed.* nemo non videt, vanam esse, quam Glossator assert, interpretationem. *Aliam* sententiam tuetur *Gvil. Budæus*, vir mul-

tarum rerum cognitione clarus, prout eum laudat Corasius *lib. 2. Miscellan. cap. 24.* vocabulo hoc significari putans res minus pretiosas, pro quibus non cogatur venditor emtori de dupla repromittere, sed de simplo tantum, veluti Ulpianus docet *in l. 37. d. evict.* Verum hanc explicationem rejicit ipse Corasius *d. cap. 24.* quandoquidem certum sit, de equo, jumento similibusve rebus non pretiosis, de dupla repromitti debere, adeoque pro *Simpliarum Simpliciarum* legendam esse putat, & huic lectioni plerosque ex vetustissimis codices consentire asserit. Hinc à *Simpulo* denominationem hujus vocis deducere amat, quippe quod vas quoddam exiguum fuisse dicit, quo populus romanus diis suis sacrificabat, unde mulieres divinis rebus deditæ *Simpultrices* vocatæ fuerint; & ab isto diverbium promanasse docet; *Excitare fluctus in Simpulo*, quo Cicero *lib. 3. d. legib.* usus, allegoria desumpta à puerorum lusu, quo in Simpulo per angustam fistulam inflantes, fluctus quosdam excitare solent, auctore Erasmo *in Cbisiad. Tit. occulta.* Redarguit præterea Corasius Budæum, quod is statuatur, Simplarias itemque du-

pla-

plarias & quadruplarias actiones ex eo dictas esse, quod in simplum, duplum aut quadruplum dentur, idque se nullibi legisse, memorat. Alia ratione procedit Jacob Ravardus, quando in *comment. ad l. 145. d. Reg. jur.* docet, poculenta & esculenta, res simplaras appellari, idque ex Fulgentii libello de prisco sermone suspicatur, in quo sic scriptum esse memorat: *Simplones dicuntur convivæ, nam & amicus sponsi, qui cum eo per convivias ambulat, simplator dicitur*, atque ob id pro rebus simplariis, hoc est, esculentis & poculentis, redhibitoriam in usu non esse, arbitratur, quoniam hæ nulla fere continent latentia vitia.

Nolumus jam ulterius originem hujus vocis indagare, illud tamen certum est, Budæi interpretationem sensui legis allegatæ quam maxime congruere, & per *Simplarias* res aut venditiones indigitari res viles atque exiguas, ob quas redhibitionem *Ædiles* denegarunt emtoribus, ne expensæ, in actionem consumptæ, pretium ipsius rei superent, & labor existat frustraneus. Coincidit fere cum hac explicatione Scholiastes *Synopsios* græcus, quem allegat Gothofred.

ad l.

ad l. 48. d. ad. ad. simplas venditiones Græcis illas vocari asserens, quæ neque laudem, neque vituperium habent.

Si jam ad nostra respicimus tempora, æquum omnino foret, saluberrimas veterum leges imitari, & actiones de rebus ejusmodi simplariis denegare; ast experientia quotidiana testatur, de negotiis sæpe nihili, lites moveri horrendas & fluctus in simpulo excitari immodicos, ad quos coercendos probus Jurisperitus merito omnem adhibet diligentiam. Hoc igitur addiscendum est illis, qui aliquando Reip. regendæ & judiciis exercendis adhiberi desiderant, eisdemque incumbit, leges in academiis sibi reddere familiares, ut sciant, qua ratione consiliis & ope civibus prodesse queant. Haud enim simplaria res est Eruditio, sed quam maxime pretiosa, nec simplaria dici potest venditio & emptio talium mercium, quæ emtores per totam vitam felices reddere valent.

Quare merito laudandus est jurium Candidatus eximius

JO-

JOANNES GEORGIUS
GERCKENROD

dum in scholis partim domesticis, partim in academiis, labore & pretio haud vulgari exquisitissimas coëmit merces, idque egit strenue, ut publicum industriae testimonium & honores reportet ex indulgentia augustissimorum Caesarum bene merentibus promissos, cujus proinde vitae ingressum, ejusve nec non studiorum decursum ad praesens tempus recensere, statuta nostri ordinis jubent.

Editus is est in hanc lucem *Francofurti*, imperiali re & nomine libera civitate, *ad Mœnum* sita, anno superioris seculi nonagesimo octavo, mensis Julii vigesimo die, patre, viro consultissimo PHILIPPO HENRICO GERCKENROD, illustrissimi *Comitis de Leinungen*, Cancellariae Directore: matre vero eximia dignitatis virtutisque matrona, ANNA ELISABETHA è gente EPSTEINIORVM orta, *Joannis* nimirum *Georgii Epsteinii*, mercatoris in civitate patria felicissimi filia, jam aliquot ab hinc annis in coelitum sedem recepta.

b

Quem-



Quemadmodum autem bonorum parentum præcipua circa sobolem cura semper eo tendit, ut repurgata in sacro fonte mens, doctrina fidei pura, non minus ac pietatis veræ cognitione imbuatur & ad res egregias obeundas excitetur: ita quoque parentes hi optimi nihil intermiserunt, quod ad culturam filii, literarum studio consecrati, facere crediderunt. Jactis igitur, opera & studio domesticorum præceptorum, tum christianæ religionis, tum linguæ literarumve humaniorum fundamentis, Eundem postea Magistrorum eruditissimorum, gymnasium patriam sua doctrina & industria illustrantium, gubernationi commiserunt, quorum fidelitati, imprimis clarissimi ARNOLDI, Rectoris munere tunc cum laude fungentis, nunc in beatorum choro triumphantis, plurima se debere ingenue fatetur. Animo itaque, dulcissimo bonarum artium melle imbuto, Philosophiæ quoque rudimentis positus, juris insuper principiis ex venerandi Genitoris domestica institutione delibatis, dignus habitus fuit, qui ad altiora transferatur, quem in finem anno currentis seculi decimo quinto Academiæ Al-

tor-

tor sine studia ingressus, eoque delatus, scholis
 celeberrimorum virorum se adjunxit, siquidem
 non tantum præcellentem philosophiæ atque
 moralium Professorem SCHWARZIVM, elemen-
 ta *philosophiæ instrumentalis* ad ductum sum-
 me venerandi nostri *Buddei* prælegentem, tum
 principia *juris naturalis*, juxta normam *Puf-*
fendorffiani libelli *de officio hominis & civis tra-*
dentem, omni assiduitate audivit, sed & in au-
 ditorio consultissimi FICHTNERI, Antecessoris
 Altorffini & Reip. Noricæ Consiliiarii gravissi-
 mi, *Jurisprudentiam* romano germanicam fo-
 rensem, à *B. Struvio* concinne admodum com-
 positam, explicantis frequenter comparuit, at-
 que partibus suis satisfecit, paremque industri-
 am excellentissimo HILDEBRANDO, Antecessori
 itidem Altorffino, doctrinas *Pande&arum* ex
Lauterbachiano compendio proponenti, ut &
Juris canonici usum demonstranti, testatus est.
 Biennio ibidem peracto, majorem uberiorem-
 que ad scientias juris amplificandas occasionem
 in academia nostra se nacturum fore credidit,
 adeoque impetrato dilectissimi Parentis consensu,
 ante quinquennium huc veniens, in numerum

b 2 civium



civium receptus, eruditionis suæ incoamenta latius protendere cœpit; siquidem eum in finem scholis excellentissimorum Jctorum & Antecessorum, inprimis BRVCKNERI & SCHROETERI, se adjunxit, horumque prælectionibus publicis sedulo interfuit, atque ex illis haud mediocres fructus se hausisse profitetur. Nec aliorum Doctorum meditationes neglexit, *juris* enim *feudalis* fundamenta ab eximio Jcto & judicii aulici, quod apud nos viget, Advocato ordinario STRUVIO: *Jus* vero *publicum* a gravissimo aulae Baruthinæ Consiliario, nec non Jurium & Historiarum Professore BURCHARDO GOTTHELF STRUVIO, ex illius Syntagma-
te non sine maximo emolumento percepit: Et ne medicarum rerum, quantum ad Jurisprudentiam faciunt, plane ignarus esset, lectiones publicas *medico-legales* experientissimi TEICHMEIERI Medic. Professoris extra-ordinarii assidue frequentavit. Hoc studii cursu absoluto, a parente de reditu in patriam admonitus, nutui Ejusdem obtemperavit, domique per aliquod tempus commoratus, jussu Genitoris optimi *Wetzlarium* se contulit, ibique impetrato accessu

cessu intimiore, apud consultissimum civitatis Imperialis istius Syndicum, D. SEIBIVM, ab eodem processum Cameralem addidit: præterea famigeratissimorum Camerae Imperialis Procuratorum, LINDHEIMERI & FLENDERI manuactione fidelissima usus, egregios in praxi forensi, ut & calamo in causis arduis exercendo profectus acquisivit.

Annali spatio ibidem transacto, e re sua fore ratus, honores Doctorales capeffendi, ad Nos rediit, & collegio nostro Jctorum propositum suum per literas exposuit, atque ut ad consueta examina admitteretur, modeste petiit: quo impetrato, tantam in legali studio, cui hactenus laudando conatu incubuit, deprehendimus perfectionem, ut non dubitaverimus, Eundem ad publica eruditionis specimina admittere, atque pro solenni lectione auspicali habenda, cathedram aperire. Fiet id ipsum crastinæ lucis hora X. antemeridiana, qua *Legem XXIIIX. Codicis de Usuris* docte interpretabitur. Cui actui ut Magnificus Dn. Pro-Rector designatus juxta & Excellentissimi
Aca-

Academiae Proceres, omnium ordinum Doctores, una cum florentissima Studiosorum cohorte, illisve qui liberales artes amant, benevole interesse, atque honorifica sua & gratissima praesentia conatus Candidati nostri provehere velint, est, quod omni decenti modo rogo & contendo, reciproca observantiae & amoris officia singulis repromittens. Jenæ, d. III. Aug. Anno post natum Christum, MDCXXI.



198.




Jena, Diss., 1727



f
5b.

Vol 18







1721, 21
24

CHRIST. WILDVOGELII,
Jcti,

CONSILIARII SAXO ISENACENSIS INTIMI, COLLEGIIVRIDICI SENIORIS ET h. t. DECANI, NEC NON ACADEMIAE PRO-RECTORIS,

DE
SIMPLARIIS VENDITIONIBVS

Ad
L. XLVIII. S. fin. d. ædil. ed.

PROGRAMMA INAUGVRALE

P. P.

IN ACADEM. JENENSI.

D III. Aug. A. O. R. MDCXXXI.



Joh. Georg Gerokemrod

I E N A E,
LITTERIS MVLLERIANIS.